Theologia ~~mys~~tica.
Jubilaeus.

Starovolscius Sim: Jubilaeus
s. remissio noxarum.

Crac. off. Franc. Caesarii
s. a.

JVBILEVS,

SEV

Remiſſa Noxarum.

Per

SIMONEM STAROVOLSCIVM, Primicerium Tarnouienſem.

Pro Pœnitentium, ac Pœnitentiariorum cognitione, enodata.

CRACOVIÆ,
In Officina Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typ.

CHRISTIANE.

IVbileus, res eſt & dictio Iudæorum, quorum Synagoga erat figura Eccleſiæ Chriſti. Apud illos itaque quinquageſimus quilibet annus erat ſacroſanctus, vt in Leuitico (*cap: 25.*) ſcriptum legimus; præceperat enim Moyſi Deus, cum quo familiariter loquebatur, vt quemque annum ſeptimum primò, populus eius electus ſabbatizaret; deinde ſeptem hebdomadas annorum numerando, annum quinquageſimum ſanctificaret; eoque remiſsio daretur cunctis Iudææ habitatoribus. Itaque omnis venditio redibat ad Dominum: omnis poſſeſsio ad priſtinum poſſeſſorē: creditores à debito relaxabantur; ſerui libertate donabantur, & ob Iubilei ſanctificationem agri erant feriati. Ex hoc inditum eſt Iubileo nomen, quod lingua Hebraica (*vt docet Ioſephus in libris*

 Antiqui-

Antiquitatum) ſignificat libertatem. Quidam (*inter quos eſt Nicolaus de Lyra*) tradunt Hebraico vocabulo buccinam IOBEL nuncupari, vnde Iubilei nomen inclinatum ſit; propterea, quòd buccino tubæ & clangore Menſe ſeptimo Iubileus denunciabatur. Alij verbi IOBEL ſignificatione (*vt ex D. Hieronymo deducit Antonius Santarellus Soc: Ieſu*) idem intelligunt ſonare, quod & producere, quia vt ſeptimo quolibet anno ſponte humus producebat fruges & fructus, quibus veſcebantur vſque ad ſaturitatem, non metendo quidpiam, neque putando vineas, ita quolibet anno quinquaſimo, veteres fruges comedebant, quas Domini benedictione anno quadrageſimo nono producebat terra, faciens fructus trium annorum. Petronius Arbiter, Iubileum annum remiſsiuum ſignificare author eſt; quod nimirum eo Pentatheuci libro, qui inſcribitur Numeri, Iubileus interpretatúr Annus remiſsionis.

Sicut ergo apud Iudæos Iubileo remiſsio

misſio dabatur rerum corporalium: ſic nunc apud Chriſtianos indulgetur remiſsio delictorum; & vt Cypriani vocabulo vtar, datur remiſſa peccatorum atque noxarum. Producunturque in anima fructus ſpirituales, gratia deſuper gratis ſuperueniente, & cauſante in nobis bonorum operum fructus. Atque ita amiſſam recuperamus libertatem, venundati per peccatum; acquirimuſque iterum perditam poſſeſsionem patriæ cæleſtis, de qua excideram*.

Legitim* igitur Iubileus eſt quinquageſimo quoquo anno. Qua in re, ſubit admirari Iudaicam inſtitutionem, quæ ex contemplatu numeri ſeptenarij, qui numerus eſt perfectiſsimus, Iubileum obſeruandum præcepiſſe videri poteſt. Septem enim annorũ hebdomades, hoc eſt anni ſepties ſepteni, conficiunt climactera vitæ humanæ periculoſum, vt meritò poſt numerum potentiſsimum eundemque in hominibus efficacem, ſubſequatur annus Iubileus, plenus bonorum & beatitatis. Quem cuncti mor-

 tales

tales faustum fortunatumq; ac felicem ominantur & optant: quo cupimus animis corporibusq; defœcatis, mundi purique & perinde felices reliquum æuum posse traducere.

Verumenimuerò, quia crescente malitia nostra, decrescit ætas & vita humana; rarique attingunt quinquagesimum annum, quo remissio datur noxarum celebratione Iubilei; ideò Pontifices Maximi, quibus ligandi & soluendi à Christo potestas data est, omni ætati paterna benignitate consulere cupientes, quoquo vigesimo quinto anno Iubilei festiuitatem Orbi Christiano publicare consueuerunt.

Sicut ergo prisci (quorum institutionibus vita nostra formatur) Kalendis Ianuarij, principio anni, auspicabantur suas quisque ætates, & litibus supersedebant, & dulcia gustabant, vt felici auspicio totus annus iret dulcis & fortunatus. Ita nos anno Iubilei; hoc est anno libertatis, anno remissionis, anno sanctificationis, anno optatissimo,

tiſsimo, ad quem fidelium vota ſuſpirant, auſpicabimur à pietate & ſanctimonia, à delictorum expiatione & pœnitentia, à probitate & bonorum operum gloria vitam noſtram. *Vt qui aliquando eramus inſipientes* (Ad Tit: c. 3.) *increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.* Ab anni huius Sancti celebratione, quo benignitas & miſericordia Saluatoris noſtri Dei exhibetur nobis, in ſanctitate & iuſtitia incedamus coram ipſo omnibus diebus noſtris: & poſtquam guſtauerimus in ſacroſancta Synaxi, quam ſuauis eſt Dominus, vita noſtra deinceps feliciter & fortunate progrediatur, vt poſsimus ſine macula comparere in exultatione, in aduentu Domini noſtri IESV Chriſti.

PVNCTVM I.

Differentia inter Indulgentiam, Iubileum, & Annum Sanctum.

 Indul-

INdulgentias vocamus, remiſsiones pœnarum, quæ ſæpè remanent luendæ poſt remiſsionem culparum, & reconciliationem in Sacramento pœnitentiæ adeptam. Quas remiſsiones Summi Pontifices ex paterna lenitate & con denſcenſione in filios ſuos, compatientes eorum infirmitati, certis temporibus, & certis in locis, non ſine iuſta aliqua & rationabili cauſa concedere ſolent.

Iubilei verò nomine, omnes indulgentias intelligimus, quæ in ampliſsima forma ſubinde concedi ſolent; ſed ad tempus aliquod breue; puta, duarum Septimanarum, aut duorum, triumuè Menſium ſpacium.

Annus autem Sanctus, propriè dicitur ille annus vigeſimus quintus, placabilis Domino, quo limina Apoſtolorum viſitantibus in Vrbe Roma, plenariæ delictorum remiſsiones conceduntur.

Sciendum itaque duplex vinculum peccati eſſe, alterum culpæ, & alterum

pœnæ

pœnæ: Culpa quia non potest tolli sine infusione gratiæ, & gratia non infunditur ministerio humano, nisi per Sacramenta; ideò pro comperto habendum est, eam per indulgentias non posse remitti: sed remittitur tantùm pœna; siquidem Indulgentia supplet locum satisfactionis pœnitentialis. Si quando itaque in literis Indulgentiarum aut Iubilei legatur, concedi absolutionem à culpa & pœna; intelligendum est, id propterea dici, quod Indulgentia coniungitur ordinariè cum Sacramentali confessione; & facit, vt qui per Sacramentum Pœnitentiæ fuit absolutus à culpa, per Indulgentiam absoluatur à pœna.

Igitur cùm alicubi conceditur Indulgentia quadraginta dierum, aut vnius anni vel trium, intelligendum est, quod si quis pro lethali aliquo crimine, haberet assignatam sibi per septennium, aut decennium pœnitentiam, per illas Indulgentias, haberet remissos sibi de illa pœnitentia quadraginta dies, aut an-

num vnicum, tresué, secundùm publicationem illarum Indulgentiarum.

Quando verò dicitur esse Indulgentia plenaria, tùm pœnitens confessus, & orans secundùm præscriptum Sedis Apostolicæ, consequitur remissionem totius illius decennalis pœnitentiæ, quæ sibi iniuncta fuerat, & hic in vita, & post obitum in purgatorio. *Bellar. lib 1. de Indulg: cap. 9.* Tempore Iubilei verò semper intelligenda est, plenissima remissio totius pœnitentiæ, quæ à Diuino iudicio exigi posset. *Io. de Turrec: in Comment: Dist: 1. de Pœnit: Super illud. Item in Leuit: qu: 4. Nauar. in Tract: de Iubil. Notab. 9. & 31. & Anton: Cordub. 9. 31. de Indulg.*

Hoc quoque interest inter Iubileum & Indulgentiam plenariam (id enim res vtraque valet quantum ad remissionem pœnæ) quia tempore Iubilei conceditur facultas Confessarijs, absoluere à casibus reseruatis, & commutare vota, quod tempore Indulgentiæ plenariæ non permittitur. *Caiet: cap. 1. Opusc. tr. 6.*

tr: 6. q. 5. & 6. Gierſ: tr: de Indulg. Suar: tr: 4. de Pœn: diſ: 53. ſec. 1. n. 3. & alij ferè omnes.

PVNCTVM II.

Vtilitas Indulgentiarum & Iubilei.

PRæcipua vtilitas Indulgentiæ ac Iubilei eſt, remiſsio pœnæ, qua & dolor remouetur ab anima & corpore; & gratia acquiritur Diuina, omnem beatitatem adducens in animam & corpus. Etenim ſiquis pœnitentia non expleta ex vita migrauerit, non poterit continuò pertingere ad vitam æternã, ſed expiare debebit eum reatum in locis purgatorij à Deo ſibi deſtinatis: Iam autem indulgentia & remiſsio tempore Iubilei conceſſa, expedit animam ab huiuſmodi impedimento, & retardatione adeptionis ſummi boni. In vita verò conciliat nobis gratiam cæleſtem, gratioraque efficit Diuinæ maieſtati noſtra bona opera, ieiunia, eleemoſynas, preces, peregrinationes, quæ tempore

Iubilei

Iubilei iubemur ardentius peragere, & ex charitate, vt mereamur etiam per ea, non tantùm satisfaciamus iustitiæ Diuinæ. Quamuis Iubileus & Indulgentię, non nitantur causa operis iniuncti (licet hæc etiam adesse debeant) sed thesauro infinito meritorum Christi, & Sanctorum eius, quæ est causa sufficiens, imò superans & transcendens omnem Indulgentiæ conditionem.

Qui igitur cupit fructum ex Indulgentijs & Iubileo capere, hæc duo necesse est vt ante omnia seruet: *Primò*, curet diligenter, vt quantociùs sit in statu gratiæ. *Deinde verò*, vt perficiat id, quod pro Indulgentia aut Iubileo assequendo fuerit iniunctum. Nulla siquidem ratio patitur, vt pœna remittatur ei, qui adhuc hæret in culpa: vel debitum condonetur illi nomine Dei, qui adhuc est auersus à Deo, nec vult refragarius opus sibi ob reconciliationem iniunctum perficere. *S. Thom: in 4. Dist: 20. qu. 1. art: 5. & alij.* Hinc in Constitutionibus de indictione Iubilei

bilei Clementis VII. Iulij III. & Gregorij XIII. expreſsè habetur, *vt qui Indulgentias conſequi volunt, verè pœnitentes, & confeſſi, viſitent Eccleſias, orent, largiantur eleemoſynas &c.* Quia finis Iubilei non alius eſt, niſi placare Deum Chriſtiano populo, & reſeratis cœli foribus, cœleſtium benedictionum manna in Chriſti fideles abundantiùs ſpargere. Placare verò maieſtatem Numinis haud aliter poſſumus, niſi humiliatione noſtra, lachrymis, dolore, pœnitentia & mortificatione; tùm bonis operibus diuerſis: quæ non expiant pœnæ reatum, niſi fiant ab homine iuſtificato & reconciliato.

Quapropter vos Catholici, filij promiſsionis, gens ſancta, populus acquiſitionis: Vos, inquam, qui timetis Deũ, qui vexillum Crucis in fronte geſtatis, puſilli, ac magni vno omnes ore, offerte in templum Redemptoris veſtri Sacrificium laudis, & condonatis inuicem offenſionibus fraternis, ac iubilantibus animis conuenite ad decantandam glo-

riam

riam eius, & haurite de fontibus eius aquas ſalientes in vitam æternam.

PVNCTVM III.

Iuuamen Defunctis à Iubileo & Indulgentijs.

RES apud Orthodoxos certiſsima & indubitata eſt, Iubileo & Indulgentijs accelerari diuinam propitiationem, & cumulum gratiarum, æquè viuis ac Defunctis; iuuarique poſſe animas, quæ in Purgatorio pœnas luunt, non minùs quàm eleemoſynis, precibus, ieiunijs, Sacrificijs Miſſarum, alijſque pijs operibus iuuantur. Ita enim fideles Defuncti, eiuſdem fidei & charitatis vinculo, cum fidelibus viuentibus coniuncti ſunt, vt vnam Eccleſiam, & vnum corpus efficiant. Et ſi priuati homines poſſunt applicare Defunctis, tanquam membris eiuſdem corporis, ſatisfactiones ſuas; cur non poteſt Summus Pontifex applicare eiſdem ſatisfactiones Chriſti, Sanctorumq; eius, quæ

quæ ſunt in theſauro ſpirituali, cuius ipſe diſpenſator eſt? *S. Tho. in 4. Diſt. 45. q. 2. art: 3. S. Bonauent. in 4. Diſt. 20. par: 2. quæſt: 5. Richard. diſt.20. art. 3. q. 3. & alij.*

Cùm autem ſuffragia tribus modis Defunctos iuuent: per modum meriti de congruo: per modum impetrationis: & per modum ſatisfactionis: Indulgentiæ itaque & tempore Iubilei, & extra Iubileum defunctis conceſſę, nonniſi per modum ſuffragij ſatisfactorij dantur, cùm Pontifex offert Deo ex theſauro illo infinito ſatisfactionum quantum neceſſe eſt ad eas liberandas; & Deus acceptans alienam ſatisfactionem communicatam animabus Defunctorum, eas liberat ex benignitate & miſericordia ſua, à reatu illo pœnæ. *Caiet. Tract: 16. de Indulgen. q. 6. Corduben. quæſt: 15. de Indulgen. Bellarm. lib: 1. de Indulgen. cap: 14.* Hoc poſito, vt qui pro Defunctis indulgentias ſuſcipit, adimpleat opus iniunctum. Indulgentiæ ſiquidem primariò & directè non

dantur

dantur, nisi viuentibus, qui possunt opera iniuncta perficere : Defunctis autem secundariò & indirectè, quatenus viuentes pro illis, existentes ipsi in gratia, opera iniuncta perficiunt.

Sciendum autem est, quod si per expressum nō est posita mentio defunctorum, in literis Iubilei aut Indulgentiarum, tunc intelligendum est, per concessionem illius Iubilei, non dari remissionem pœnarum animabus in purgatorio existentibus *Pinell : de Indulg : cap. 17. Suar : d. 63. se : 1. t. 4. de Pœn : Iodocus v. Iubileus. n. 23.* Ideo Alexander VI. publicando Annum sanctum, in Bulla *Inter curas*, & in alia. *Pastoris æterni*, per expressum posuit Indulgentias illius Iubilei extendi etiam ad animas in purgatorio existentes, data eleemosyna pro fabrica S. Petri, ad arbitrium Confessarij. Alias, Anni sancti Indulgentias non possumus applicare defunctis. *Nauar : de Iubil : not : 22. n. 1. Benzon : lib : 2. cap. 47. Bonacin : de de Sacr : d. 6. q. 1. par : 6. n. 7. Hieron : Gratian.*

Gratian: de Iubil. p. 1. c. 15. & par: 2. c. 12. In quo tamen Diui Hypponensis Antistitis diligenter effatum considera. *Suffragia non prodesse omnibus mortuis, sed illis tantùm, qui in hac vita meruerunt, vt sibi prodesse possent. August: lib: de cura pro mort. cap. 1. & Euch: cap. 109.*

PVNCTVM IV.

Facultas Confessariorum.

QVando Iubileus, vel Indulgentiæ in forma Iubilei publicantur, datur vnicuique facultas eligendi Confessarium, ex approbatis, iuxta decretum *Concil: Trid. Sess. 23. cap. 15.* (nam alioqui non iudicantur idonei Confessarij: & Summus Pontifex in Iubileis non permittit facultatem non idoneos eligendi) daturque auctoritas Confessarijs absoluendi à multis casibus reseruatis, necnon Censuris Ecclesiasticis: tùm & vota non nulla in alia pia opera commutandi. Non tamen dispensandi à votis, præsertim S. Sedi Apostolicæ reseruatis.

Si

Si vetò quæras. An Sacerdos ad peccatorum confeſsiones excipiendas electus, vi Iubilei, quo conceditur facultas ſimpliciter abſoluendi ab omnibus peccatis etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, poſsit abſoluere ab hæreſi, & à cæteris criminibus in Bulla contentis? Reſpondeo, quòd non. quia ſoli Romano Pontifici reſeruatur abſolutio hæretici, & ab excomunicatione, & à peccato. Et proinde neminem poſſe ab ea abſolui, niſi auctoritate & facultate à Sede Apoſtolica, ad id ſpecialiter ſibi conceſſa, vel in literis Iubilei expreſsè Confeſſarijs permiſſa. *Antonius Santarellus Tract. de Iubil. & apud eum allegati.* Imminente verò mortis periculo, hæreticus à quolibet Presbytero abſolui poteſt.

Itidem vi Iubilei non poſſunt deputati Confeſſarij, relaxare, aut diſpenſare ſuper vlla Irregularitate. *Tolet. lib: 1. c. 89. nu: 6. Sayr. lib: 7. de Cen: c. 14. n. 1. Mauol. lib: 5. c. 51. n. 7. Nauar. in ſum: c. 27. n. 194. ℣. 4.*

Quod

Quod si iterum quæras. An tempore Iubilei detur facultas relaxandi vota, aut tantummodò commutandi illa? Dico, quòd commutandi tantùm; idque nõ in minus, sed in æquale bonum. Sunt enim istæ facultates commutandi & relaxandi, omninò inter se diuisæ & distinctæ: quia qui relaxat, ex toto obligationem tollit; qui verò commutat, obligationem voti non aufert, sed in aliam materiam conuertit. *Nauar. in Manua. c. 12. n. 79. Palud. in 4. dist. 38. q. 4. ar: 3. Conclus. 5.*

Si verò pœnitens varijs & compluribus votis intrigatus fuerit, nec poterit Confessarius statim difficultatem resoluere, nisi prius libris, aut viris prudentibus super eo consultis; poterit benè illam commutationem differre post tempus Iubilei, propter sui, & pœnitentis, meliorem informationem. *Suar. to: 2. de Relig. tract. de Voto lib: 6. cap: 16. n. 15. Sanchez dist. c. 54. n. 33.*

Similiter & Confessio cœpta tempore Iubilei, & ob temporis breuitatem

non

non finita, poteſt die ſequenti finiri cum commutatione votorum, & abſolutione à Cenſuris & reſeruatis caſibus. *Henrius lib: 7. c. 11. n. 3 Sà. V. Indul. n. 14.*

Sed adhuc quæres. Si quis vouiſſet caſtitatem ſeruare, per vnum annum, aut duos, vel virginitatem ad tempus certum; poteritne eum à tali voto Confeſſarius abſoluere, an non? Dico, quòd poterit, quia votum iſtud non eſt perpetuum: & à talibus votis, quæ ad tempus promittuntur, poteſt iuſtis de cauſis Epiſcopus ſua ordinaria authoritate relaxare. Quidquid autem poteſt relaxare, aut commutare Epiſcopus ex ſua iuriſdictione, hoc totum poteſt facere Confeſſarius ab eo deputatus ex vi Iubilei. *Henrius lib: 7. c. 30 n. 6. Vega in ſum t. 2. c. 129. caſu 34. Roderic. in Bull. Cruc. §. 9 n. 120. Sanch. lib: 8. de Matr. diſt: 15. n. 9.*

Qui verò caſtitatem vouit perpetuam abſolutè & perfectè; aut ingreſſum Religionis, ſimiliter abſolutè & perfectè, excluſis omnibus conditionibus,

bus, circumſtantijs, & defectibus; talia vota non poſſunt commutari vi Iubilei, nec à Confeſſario, nec ab Epiſcopo ipſo, quia ſunt perpetua, & ideò ſoli Papæ reſeruata. Quod enim ſemel placuit, ampliùs diſplicere non debet. *Regul. Quod ſemel. De Regulis iuris. in 6.* Deficientibus autem circumſtantijs, aut conditionibus, in iure expreſsis, licitè poſſunt commutari in alia bona & pia opera, quia obligatio eſt imperfecta & diminuta. *Anton. Santarell. Tract. de Iubileo, & ferè omnes Doctores.*

Quod ſi quis facto voto caſtitatis abſolutè & ex animo deliberato, poſtea contra votum ſuum duxit vxorem, & conſummauit matrimonium: à tali voto nequaquam eum relaxare poterit vi Iubilei Confeſſarius; immò nec commutare illud in alia pia opera; aut diſpenſare cum illo, vt poſsit licitè, & abſq; peccato poſcere debitum ab vxore. Quia votum Caſtitatis perpetuæ ac Religionis, eſt propriè reſeruatum Papæ, & obligatio reſultans ex illo. *Ita*

Anton.

Anton. Santarell. tract: de Iubil: anni præteriti ab INNOCENTIO X. *Romæ celebrati.* Alij autem Doctores dicunt, assertiuè, quod possit vi Iubilei commutare Confessarius, quoniam potest ordinaria auctoritate Loci Ordinarius. *Viual. p. 3. c. 14. n. 41. Sylu. ℣. Dispen: quæst: 9. n. 15. Azor. t. 1. lib: 11. cap: 19. quæst: 8. Sot. in 4. d. 38. q. 2. art: 1. Tol. lib: 4. c. 18. n. 1. Nauar. in sum: c. 12. n. 76. Ledes: 2. 4. q. 55. ar. 1. Col. 1. Graff: in Dec: p. 1. lib: 1. cap: 13. n. 80. Gutier. lib: 1. 9. Can. c. 23. n. 17. Maior. in 4. dist: 32. q. 2. Antonin. 2. par: tit: 11. cap: 2. Cord. in sum. q. 145. pa: 2. Valen. p. 4. dist: 10. q. 5. p. 5. Henrius lib: 12. cap: 2. n. 9. & cap: 5. n. 10. Sà. ℣. debit: con-iug: n. 4.*

Rogabis. Vtrum Confessarius vi Iubilei potest commutare votum Religionis strictioris in ingressum Religionis laxioris? Et dico, quod potest; quia non mutatur substantia Religionis, sed tantum obseruantiæ & qualitatis, quæ non est reseruata Papæ. *Anton: Santa-rell.*

rell. Tract: de Iubileo. Quamuis contrarium sentiant plurimi.

Ad eundem modum, si quis habet votum Castitatis aut Religionis iam commutatum per Papam in alia pia opera, recitandi videlicet certas orationes & preces singulis diebus, ieiunandiué dies assignatos qualibet hebdomada, poterit Confessarius vi Iubilei, permutare in aliam materiam: quia sublato voto, quod erat materia reseruationis, non est ampliùs quod reseruetur Papæ. *Idem Santarell.*

Vota verò & iuramenta pœnalia atque conditionalia, quia non sunt reseruata Papæ, non tantùm commutare, sed & dispensare Confessarius vi Iubilei potest. *Exempli causa.* Si quis abstinere alea, vel potatione cremati vouisset, sub pœna ingressus religionis, aut cœlibatus perpetui, & transgressus esset. A tali voto potest eum absoluere Episcopus ordinaria facultate sua, ergo & Confessarius ab eo deputatus vigore Iubilei. *Arag. 2. 2. qu. 88. art: 12. Vega in sum.*

ſum. t. 2. cap: 129. Medin. lib: 1. ſum cap: 14. §. 6. Leſſ: lib: 2. c. 40. dub: 13. n. 106. & alij plurimi. Contrarium verò, præſertim in votis conditionalibus, tenent. *Roder. in ſum: t. 2. cap: 97. cond. 2. Tol. lib: 4. ſum. c. 18. Sayr. in Cla. lib: 6. cap: 11. nu: 72. Nauar. ſum: cap: 12. n. 43. & alij.*

Denique Religioſi omnes, quamuis ſoleant habere pro ſe Confeſſarium approbatum à ſuo Superiore de medio ſui, poſſunt tamen tempore Iubilei confiteri cuilibet ſeculari Sacerdoti approbato à Loci Ordinario; aut alicui alterius Religionis ſimiliter ab Epiſcopo approbato (nam tempore Iubilei ceſſat facultas omniũ in Prouincia, quicunque habuêre facultatem abſoluendi à reſeruatis) ſic eſt declaratum à Sacra Congreg: Concil. *Fill: t. 1. tr: 8. cap: 10. q. 14. n. 275. Sorb. loc: cit: Henrius. lib: 7. cap. 10. n. 8. Nauar. Miſc: 95. de Or. Regin. lib: 7. cap: vlt: q. 2. n. 173. Sà. ℣. Indul. n. 13. Roder: in ſum: p. 1. cap: 184. n. 14. Bonac. de Sacram. d. 6. q. 1. p. 5. n. 25. Fer-*

nar:

nan: in medull: p. 3. cap: 8. §. 10. n. 3. Cordub. qu. 18. de Indul: prop: 3. Valent. lib: de Indulg: cap: 7. Benzon. lib: 5. de Iubil: cap: 15: d. 30 Comitol. lib: 1. resp. qu. 38. Bellar: de Indulg: lib: 1. cap: 13. qu: 4. Palud: in 4. d. 20. qu: 4. art: 3. S. Thom. quodl: 2. art. 16. & alij ferè omnes.

PVNCTVM V.

Summa Iubilei.

SVmmus Pontifex INNOCENTIVS Papa X. peracto ex veteri Ecclesiæ ritu, anno proximè præterito, in Vrbe Roma Vniuersali Iubileo, pro munere suo Pastorali; ac paterna erga omnes charitate, cupiens omnium Christi fidelium saluti prospicere, cùm per vniuersa Christiana Regna eundem Sanctificationis atque Indulgentiæ annum, participandum his, qui ad limina Apostolorum accedere minimè potuerunt, promulgare statuisset; etiam in nostram Patriam, quæ antemurale Christianitatis est, ad petitionem Serenissimi Regis

noſtri, Iubileum Vniuerſale quadrimeſtre miſit. Quod in hac Metropoli Vrbe Cracouienſi, diſpoſitione Illuſtriſsimi Loci Ordinarij, vigilantiſsimi Paſtoris noſtri, ad implorandam Diuinam opem, & inuocandum cœleſte auxilium, his præſertim turbulentiſsimis periculoſiſsimiſque Reipublicæ noſtræ temporibus, quibus continuas populorum cædes, vrbiumque ſtrages, ac tanta in Ruſsiæ Prouincijs illata rebus ſacris, & Catholicæ Religioni damna videm⁹, tali modo atque ordine peragetur:

Inchoabitur Iubileus à Dominica prima Auguſti, quæ erit trigeſima Iulij à primis Veſperis, & durabit Menſibus integris quatuor; finieturque in ſecundis Veſperis Feſti S. Andreæ Apoſtoli, quod erit die trigeſima Menſis Nouembris.

Cupientes igitur pleniſsimam omnium noxarum ſuarum, & pro eis pœnarum quarumuis commeritarum, Indulgentiam ac remiſsionem lucrari, hæc quatuor præcipuè obſeruabunt.

Primò.

Primò. Confeſsionem Sacramentalem omnium peccatorum & offenſionum Dei, corde contrito & humiliato præmittent.

Secundo. Sacroſanctam Euchariſtiam cum quanta poterunt deuotione, & præparatione animæ ſuæ, percipient, in quacunque Eccleſia ex aſsignatis.

Tertio. Tres Ciuitatis Cracouienſis Eccleſias, videlicet, Cathedralem S. Staniſlai in Arce Crac. SS. Trinitatis PP. Dominicanorum, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Societatis IESV; quindecim diebus continuis, aut interpolatis, ſiue proceſsionaliter, ſiue ſeparatim, & tempore commodiore ſibi viſo (tres tamen quolibet die) deuotè viſitabunt.

Vltimò. In vnaquaque harum Eccleſiarum ante tria Altaria, ad id per Illuſtriſsimum & Reuerendiſſ: D. Loci Ordinarium deputata, quibus affixæ erunt Tabellæ cum inſcriptione eiuſmodi: ALTARE MAGNI IVBILEI, quinquies Pater noſter, & Aue Maria, recitabunt, exorando Diuinam Maie-

ſtatem pro remiſsione peccatorum ſuorum, & pro neceſsitatibus Eccleſiæ ſanctæ, hoc eſt; vt per viſcera miſericordiæ ſuæ fidem Catholicam protegere, ab hoſtium conatibus & inſidijs defendere, Hæreſim extirpare, Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiã donare, ac præcipuè præſentibus Patriæ noſtræ neceſsitatibus ſubuenire dignetur. Et hæc orantes, pleniſsimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſsionem ſicut in anno Iubilei, in vrbe ipſa Roma concedi conſueuit, in Domino conſequentur.

PVNCTVM VI.

Gratia Iubilei diſpenſatiua.

QVia non omnes qui in Regno Poloniæ continentur, quamuis leuiſsimæ videantur, ſupra nominatas conditiones explere poterunt, iuſtis rationibus & cauſis impediti. Ideò cum pauperibus, infirmis, ſenibus, prægnantibus, virginibus, viduis; Capitulis quoque, Congregationibus, & Sodalitatibus,

bus, tam Secularium, quàm Regularium, potissimè aliunde venientibus, pauciores quàm quindecim dies, iuxta cuiusque necessitatem, Illustriss: Loci Ordinarius assignare poterit; & iudicio prudentiæque Pœnitentiariorum suorum, ad excipiendas Confessiones fidelium deputatorum, dispensandos committet.

Quibus liberum erit pœnitentes, vigore Iubilei, à quibusuis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumuis grauibus & enormibus, etiam Locorum Ordinarijs, aut Sedi Apostolicæ; vel etiam in literis Bullæ die Cœnæ Domini legi solitis, contentis (non tamen à crimine hæresis, vt iam suprà diximus) absoluere, & relaxare: iniuncta eis, & eorum cuilibet pœnitentia salutari,

Similiter vota quæcunque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, eaque iniungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt.

Nullus tamen Confessariorum, vigore Iubilei audeat super Irregularitate publicâ vel occultâ, seu defectu, incapacitate, & inhabilitate quoquomodo contracta dispensare: aut Matrimonia in casu prohibito contrahenda, vel contracta ratificare, (licet à peccato commisso absoluere poterunt) quia nulla eis facultas dispensandi seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi per Bullam Iubilei tribuïtur.

Sciant quoque, & illos haud quaquã posse absolui per Breue Iubilei, qui vel à Sede Apostolica, vel ab aliquo Prælato & Iudice Ecclesiastico sunt excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliquas alias in Censuras & sententias incidisse declarati, vel publicè denunciati. Nisi infra tempus celebrationis huius Iubilei sancti satisfecerint, aut cum partibus concordauerint, vt suprà in Puncto Quarto ex sensu & consensu Doctorum elucidauimus. Cùm facultas extendatur tantummodò ad Sacramentalem absolutioné peccatorũ, & non absolu-

ſolutionem ab Excommunicatione à iure prouenıente.

Eadem facultas tribuetur Pœnitentiarijs, & in alijs Diœceſibus ab Illuſtr. & Reuerendiſſ. ſuis Locorum Ordinarijs, ab vnoquoque in ſua Diœceſi, in Caſibus ſuprà ſpecificatis, ad effectum præſentis Iubilei examinatis, approbatis, & deputatis ad excipiendas Confeſſiones Chriſti fidelium, gratiam Iubilei obtinere volentium. Regularibus ſiquidem perſonis vtriuſque ſexus, & in clauſtris perpetuò degentibus, nec non alijs quibuſcunque Laicis, vel Eccleſiaſticis ſæcularibus, vel in carcere & captiuitate exiſtentibus, vel aliqua infirmitate diuturna, ſeu alio quocunque impedimento detentis, & Cracouiam venire nequeuntibus, vnà cum poteſtate deputandi Confeſſarios, Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Locorum Ordinarijs per totum Regnum Poloniæ exiſtentibus, delegatam ſibi authoritatem Apoſtolicam, Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: D. Epiſcopus Cracouienſis ſubdelegat.

Igitur vbique locorum in Regno Poloniæ Claustrales, qui nunquam septa sui Monasterij exire possunt; & quæ in Monasterijs aluntur Virgines, vltra Cõfessionem, corã Pœnitentiarijs pro hoc Iubilei tempore specialiter sibi deputatis, (qui vniuscuiusque beneplacito pro vnica tantum Confessione conceduntur) & Communionem Eucharisticam, erigant præter Altare Maius, interius in Ecclesijs suis, seu in Ambitu, vel locis aptioribus, duo Altaria, ad quæ loco peregrinationis & visitationis trium Ecclesiarum, Procesionem habeant quindecem diebus, mane post Diuini Officij celebrationem, recitantes ante quodlibet Altare quinquies Pater noster, & Aue Maria, ad intentionem Iubilei præsentis.

Carcerati, expiata conscientia suæ coram Sacerdote quocunque sæculari, vel cuiusuis Ordinis Regulari per suos vbique Locorum Ordinarios vigore huius Iubilei deputato, nec non Sacratissima Synaxi refecti, per dies similiter

ter quindecim, quos ex quatuor prædictis Mensibus commodiores habuerint, quolibet die tribus vicibus, quinque Pater noster, cum Aue Maria, ad intentionem Iubilei, ad imaginem Crucifixi deuotè recitabũt in loco carceris.

Similiter facturi sunt & alij, quicunque morbo, infirmitate, vel alia legitima causa impediti ad Ecclesias Cracouiæ destinatas accedere non poterunt. Affixi autem lecto (præcipuè in pagis ac villis) vbi præter Parochum, alius ex depùtatis pœnitentiarijs haberi Sacerdos non poterit, coram illo, vti directo Pastore suo, vel eius Vicario, (qui in hoc casu eandem facultatem absoluendi à reseruatis habebit, quam & omnes alij Confessarij ad Iubileum deputati) confessi & communicati, ad Crucifixi, aut aliquam aliam Imaginem sacram, conuersi, toties dicant Pater noster, & Aue Maria, ad effectum Iubilei, pro necessitatibus supra scriptis, quoties per morbum & infirmitatem licebit. Quod si nec Orationem Domi-

nicam, nec Salutationem Angelicam recitare poterunt, aliquid aliud suspirio, nutu, vel mente præstabunt.

Insuper, illi quoque qui anno proxime præterito Vrbem Romam adierunt, & Iubileum ipsum quouis modo consecuti sunt, in Patriam reuersi, de nouo iuxta tenerem præsentis Bullæ Iubilei, remissionem omnium peccatorum suorum in Domino consequentur.

PVNCTVM VII.

De operibus Supererogationis.

QVia omne opus bonum duplex habet prætium meriti videlicet, & satisfactionis, vt ex verbis Iobi videre est. *Eleemosyna,* inquit, *ab omni peccato & à morte liberat. Iob. 4.* Hoc est, dum à morte tutos efficit, satis facit iustitiæ Diuinæ, & dum vitam æternam adstruit, hanc meretur à Saluatore, qui id ipse suo calculo comprobauit, inquiens, beatos illos homines fore, qui vt par & æquum est erogauerint egenis stipem.

Perci-

Percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, eſuriui enim & dediſtis mihi manducare. Matth: 25. Qui itaq; pietate permoti, præter aſsignatas in viſitatione Eccleſiarum & Altarium preces, alia quoque bona opera, puta ieiunia, vigilias, mechaunias, diſciplinas, & eleemoſynas, ad libitum, & ſpontè, prout charitas ſingulis ſuggeſſerit, fecerint; non veniam ſolum delictorum ſuorum vigore Iubilei merebuntur, ſed etiam coronam ſupererogatione operum. *Menſuramq; bonam & confertam & coagitatã & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrũ.* inquit ipſa Veritas Summa.

Si igitur vnquam alias, nunc potiſsimùm iræ, rixæ, & contentiones, & inueterata odia dimittenda propter Chriſtum. Si quando carnis impuritates abluendæ & immunditiæ, vt Templum Dei mundum eſſe poſsimus, nunc præcipuè, quando aperto ſpirituali ærario diuitias meritorum Chriſti Sanctorumque eius in Eccleſiam congeſtas, in hac plenitudine temporis, pleniore in om-

nes

nes manu Pastor Supremus dispensauit. Nunc siquando demum aperire viscera nostra, & fratrum nostrorum pauperum (in quibus Christus ipse pascitur & nutritur) inopiam sûbleuare debemus, si paratam in nos, Patriamque nostram charissimam Dei iram precibus nostris placare, & auertere desideramus. Propitiatur enim Dominus cunctis qui in toto corde requirunt eum, & miseretur omnibus inuocantibus se in veritate.

Qua propter, placando Diuinam illius maiestatem, afflictioni corporum & contritioni cordium, has quoque precatiunculas, in visitatione Ecclesiarum asignatarum adiungamus: *Vt postulando mereamur id accipere, quod Deus Omnipotens,* prout D. Gregorius inquit, *ante sæcula disposuit donare.*

LITA-

LITANIÆ
De Omnibus Sanctis.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſererę nobis.

Sancta

Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,

} Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Mathæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

Ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Ioannes & Paule, orate pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane, orate pro nobis.

Sancti Geruasi & Protasi, orate pro nobis.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Siluester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine;
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine, Ora pro nobis.
Sancte Nicolae,
Omnes sancti Pontifices & Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, ora pro nobis.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, orate pro nobis.
Omnes

Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} Ora pro nobis.

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.

Propitius esto, Exaudi nos Dñe.

Ab omni malo Libera nos Dñe.

Ab omni peccato, Libera nos Domine.

Ab ira tua, libera nos Domine.

A subitanea & improuisa morte, libera nos Domine.

Ab

Ab insidijs diaboli, libera nos Domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.
A spiritu fornicationis, libera nos Domine.
A fulgure & tempestate, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera nos Domine.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera nos Domine.
Per aduentum tuum, libera nos Domine.
Per Natiuitatem tuam, libera nos Domine.
Per baptismum & sanctum ieiunium tuum, libera nos Dñe.
Per crucem & passionem tuam, libera nos Domine.
Per mortem & sepulturam tuam, libera nos Domine.

Per

Per ſanctam Reſurrectionē tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem, tuam, libera nos Domine.
Per aduentum Spiritus ſancti paracleti, libera nos Domine.
In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogam⁹ audi nos.
Vt nobis parcas, te rogamus audi nos.
Vt nobis indulgeas, te rogamus audi nos.
Vt ad verā pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.
Vt Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſeruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt domnū Apoſtolicū, & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione cōfortare & cōſeruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt ini-

Vt inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos.

Vt Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram Concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.

Vt cuncto populo Chriſtiano pacem & vnitatem largiri digneris. te rogamus audi nos.

Vt noſmetipſos in tuo ſancto ſeruitio confortare & conſeruare digneris, te rogamus audi nos.

Vt mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas, te rogamus audi nos.

Vt omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione

tione eripias, te rogamus audi-
nos.
Vt fructus terræ dare & conſerua-
re digneris, te rogam⁹ audi nos.
Vt omnibus fidelibus defunctis
requiem æternam donare di-
gneris, te rogamus audi nos.
Vt nos exaudire digneris, te roga-
mus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mũ-
di, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mũ-
di, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mũ-
di, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

Pater noſter.

℣. Et

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Psalm. 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescăt: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi Euge, Euge.

Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper; Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

℣. Saluos

℣. Saluos fac seruos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitu-
℟. A facie inimici. (dinis.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, non secundùm peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro Innocentio X.
℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. (stris.
℣. Oremus pro Benefactoribus no-
℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam.
℣. Oremus pro fidelibus Defunctis.
℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro

℣. Pro fratribus noſtris abſentibus.
℟. Saluos fac ſeruos tuos, Deus meus ſperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Syon tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEVS, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat.

EXaudi quæſumus Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INeffabilem nobis Domine miſericordiam tuam clemenrer oſtende: vt ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEvs qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſuppli-

ſupplicantis propitiùs reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro Innocentio X. & dirige eum ſecundùm tuam clementiã in viam ſalutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEvs, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

VRe igne ſancti Spiritus renes noſtras, & cor noſtrum, Domine: vt tibi caſtò corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum famularumq; tuarum remiſsionẽ cunctorũ tribue peccatorũ: vt indulgentiã, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationib⁹ conſequantur.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quoſque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniā conſequantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate, &c.

℣. Domine exaudi orationem meā.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudi nos omnipotens & miſericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

ORA-

ORATIONES
Dicendæ ante quodlibet Altare, in visitatione Ecclesiarum.

In Templo Cathedrali S. Stanislai.

Ad Altare Maius.

Annus sanctificat⁹ illuxit nobis, venite gentes, & adorate Dominũ.

Pater noster 5. Aue Maria 5. Credo 1

O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior vniuersis: quæ sola digna fuisti portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera: salua præsentem cateruam, n tuis hodie laudibus congregatam.

Adoramus te Christe, & benedicimus tibi. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

OREMVS.

DEvs, qui vnigeniti filij tui precioso sanguine, viuificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti; concede quæsumus eos, qui eiusdem sanctæ Crucis lætantur honore, tua quoque vbique protectione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ad Altare SS. Corporis.

Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.

5. Pater noster, & Aue Maria 5. Credo 1.

O sacrum Conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passio-

nis

nĩs eĩus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Panem de cœlo præstitisti eis.
Omne delectamentum in se habentẽ.

OREMVS.

DEVS, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis suæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ad Sepulchrum S. Stanislai.

Martyr Dei Stanislaus gloriosus Põtifex, quem occidit Boleslaus truculentus Princeps; Pastor bonus & Patro-

mus adſit nobis opifex, & virtutum artifex.

5. Pater noſter, & Aue Maria 5. Credo 1.

Vir inclyte Stanislae, vita, ſignis, paſſione, plebem tuam Paſtor bone, foue benedictione: guberna protectione, ſalua ſancta interceſsione.

Gloria & honore coronaſti eum Domine,
Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

OREMVS.

DEvs, pro cuius honore glorioſus Pontifex Staniſlaus, gladijs impiorum occubuit: præſta quæſumus, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

In Tem-

In Templo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Ante Altare Maius.

Petrus Apostolus, & Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuã Domine.

Pater noster 5. Aue Maria 5. Credo 1.

Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

Constitues eos Principes super omnẽ terrã. Memores erunt nominis tui Domine.

OREMVS.

DEVS, cuius dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, & Coapostolum eius Paulum tertiò naufragantem, de profundo pelagi liberauit; exaudi nos ptopitius, &

concede, vt amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus S. Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ante Altare Natiuitatis Domini.

Memento rerum conditor, nostri quod olim corporis, sacrata ab aluo Virginis, nascendo formam sumpseris.

Pater noster 5. Aue Maria 5. Credo 1.

Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei nostri.

ORE-

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui, mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ante Altare B. V. Mariæ.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ: Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Pater noſter 5. Aue Maria 5.
Credo 1.

Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles: ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque cele-

brant tuam ſanctam commemorationem.

Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
Vt digni efficiamur promiſſionib⁹ Chriſti.

OREMVS.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine DEVS, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum, A.

In Templo SS. Trinitatis.

Ad Altare Maius.

O adoranda Trinitas, ô veneranda Vnitas, per te ſumus creati vera Æternitas; per te ſumus redempti ſumma tu Charitas. Populum cunctum tu protege,

tege, ſalua, libera, eripe, & emunda. Te adoramus Omnipotens; tibi canimus, tibi laus & gloria, per infinita ſæculorum ſæcula.

Pater noſter 5. Aue Maria 5.
Credo 1.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum ſanctum Paraclitum; ſanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in ſæculorum ſæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu.

Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in poten-

in potentia maiestatis adorare Vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus S. Deus, per omnia sæcula sæculorũ, Amen.

Ad Sepulchrum B Hyacinthi.

Hic vir despiciens mundum & terrena; triumphans, diuitias cœlo condidit, ore, manu.

Pater noster 5. Aue Maria 5. Credo 1.

Aue florum flos Hyacinthe,
Omni flore purior:
Aue gemma pretiosa,
Cunctis gemmis clarior.
Aue protector omnium,
Ad te confugientium:

Aue

Aue cœleſtis incola,
Succurre prece ſedula:
O Hyacinthe ſanctiſſime,
O Confeſſor dulciſſime.

Ora pro nobis Beate Hyacinthe,
Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORemvs.

DEvs, qui B. Hyacinthum Confeſſorem tuum, in diuerſis nationum populis, operum ſanctitate, & miraculorum gloria feciſti conſpicuum: da nobis, vt eius in melius reformemur exemplis, & in aduerſis protegamur auxilijs. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritu ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſeculorum, Amen.

Ad Altare

Ad Altare Sacratissimi Rosarij

Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa & benedicta.

Pater noster 5. & Aue Maria 5. Credo 1.

Salue Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te suspiramus, gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O cle-

de. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne De⁹, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti: da, vt cuius commemoratione lætamur, eius pia intercesſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Poſt

Post hæc dicat:

CONtere Domine fortitudinem inimicorum Ecclesiæ tuæ, & disperge illos in virtute tua, vt cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Quoniam Rex noster sperat in te Domine, inueniatur manus tua, omnibus inimicis eius, & dextera tua protegat eum.

Da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Fiat pax in virtute tua.
Et abundantia in turribus tuis.

OREMVS.

DEvs, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera;

opera; da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum, nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. A.

Etiam pro Summo Pontifice, qui non Sacerdotalis buccinæ clangore, sed Apostolicæ vocis oraculo, hanc nobis Iubilei Vniuersalis gratiam impertiuit, breuem Oratiunculam adde, quo eius paterna benedictione facilius tibi accelerationem Diuinæ propitiationis, & cumulum gratiarum concilies.

DEVS omnium fidelium Pastor & Rector, famulum tuum INNOCENTIVM, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti,

luisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest proficere, vt ad vitam, vnà cum grege sibi credito, perueniat sempiternam, Amen.

Hymnus SS. Ambrosij, & Augustini.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli & vniuersæ Potestates.

Tibi Herubim & Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni

Pleni ſunt cœli & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum Chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ Maieſtatis.

Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti Virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloria Patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

Tu ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni: quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum ſanctis tuis: gloria munerari.

Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ.

Et rege

Et rege eos: & extolle illos vſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum̃ in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui: non confundar in æternum.

OREMVS.

DEVS, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus. pijssimæ maiestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; vt qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.